



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Caput IV. De forma Sacramenti Eucharistiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Euchar. Cap. III. 141
 nitur adoranda. Nunquam tamen unam speciem sine alia consecrari licet, quia non licet alio modo Eucharistiam consecrare, quam eam Christus consecrandam imperavit: at Christus utramque speciem indivisim consecrandam præcepit, ut ait Concilium Tridentinum. *Christus Corpus & sanguinem suum sub speciebus Panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituabat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus ut offerrent, præcepit per hæc verba: HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM: uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Sess. 22. c. 17

CAPUT IV.

De Forma Sacramenti Eucharistia.

Quæst. 1. QUÆNAM est forma consecrationis Panis?

Resp. Consistit essentialiter in his solis verbis; *Hoc est Corpus meum*: ut enim ait Catechismus Concilii Tridentini; *Itaque à sanctis Evangelistis Mattheo, & Luca, itemque ab Apostolo docemur illam esse formam, Hoc est Corpus meum*: Igitur nec particula enim, nec alia verba sunt de essentia consecrationis. 1. p. De Euchar. Sacramento n. 10.

Quæst. 2. Sacerdos omittens particulam enim in consecratione, peccaret-ne?

Resp. Ex Divo Thoma. *LY ENIM sublatum non tollit debitum sensum verborum. Et ideo non impedit perfectionem Sacramenti; quamvis possit contingere quòd ille qui prætermittit, peccet ex negligentia vel contemp-* D. Th. 35 p1 q. 60 art. 2 in corp.

Idem q. 78. *tu.* Et in alio loco ait : *Hac conjunctio ENIM*
 art. 2. ad 5. *apponetur in hac forma secundum consuetudi-*
nem Romana Ecclesia à beato Petro Apostolo
derivatam , & hoc propter continuationem ad
 In 4. dist. 8. *verba precedentia. Quare , ut ait sanctus Bo-*
 q. 3. *naventura. Si quis tamen formam Ecclesia ex*
certa scientia mutat , graviter peccat.

Quest. 3. Forma consecrationis sanguinis
consistit-ne essentialiter in illis verbis , quibus
uitur Ecclesia : Hic est enim Calix sanguinis
mei novi & æterni Testamenti , &c ?

5. Bonavent.
 dist. 8. p. 2.
 in exposit.
 textus.

Resp. Ex Divo Bonaventura : Dicendum
quòd circa hoc sunt dua opiniones ; alii qui
dicunt quòd vis data est verbis. Quod solum
his verbis fit consecratio , qua dicit Ecclesia ;
& si verba immutantur , quantumcumque sit
sensus idem , non conficitur : & ideo dicunt,
quod in his verbis non sit confectio seu conse-
cratio , & dicunt quòd Magister non dat ibi
formam. Alii dicunt aliter , quòd mutatio in
modo enuntiandi , dum tamen servetur sensus
non impedit consecrationem. Vnde in forma
quam ponit Magister , ita benè est consecratio,
sicut in forma qua ponitur in Canone. Verum-
tamen hoc asserendum est , quòd in forma qua
in Canone scribitur , conficitur Sacramentum,
de hac utilius est dubitare. Quis enim potest
scire , utrum Evangelista , aut ipse Apostolus
formam intenderent describere : ideo melius
est hìc piè dubitare quàm presumptuosè defi-
nire. Credo tamen quod si quis ita conficeret,
non esset parvipendendum , imò honor & re-
verentia esset exhibenda propter periculum,
& propter hoc quod non possumus discernere,
quia majus periculum est in contemnendo
Hostiam consecratam , quàm non consecratam
venerari pro consecrata , ut putà si non con-
secrata commisceatur aliis consecratis , à qui-

De Sacram. Euchar. Cap. IV. 143

bus non possit discerni, melius est totum venerari, quàm despiciere aliquam ex eis, cum non possit cognosci.

Quaest. 4. Est-ne necesse ad validitatem Sacramenti ut Sacerdos consecrans proferat verba formæ nomine suo, an requiritur ut ea proferat nomine Christi?

Resp. Requiritur ad validitatem Sacramenti, ut Sacerdos consecrans proferat in persona Christi verba consecrationis, & dicat; *Hoc est Corpus meum*, neque enim consecraret si nomine suo diceret, *Hoc est Corpus Christi*; quia forma substantialiter corrumpeteretur: Et enim, ut ait sanctus Ambrosius; *Vbi autem venit ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos utitur, sed utitur sermonibus Christi.*

Rationem afferunt Divus Thomas & Divus Bonaventura. Dicendum, inquit Divus Thomas, quod Minister in Sacramentis dupliciter operatur: uno modo, verba pronuntians, alio modo actum aliquem exteriorem exercens, ut in Baptismo patet; & utrumque istorum est Sacramentalis causa ejus quod divinâ virtute qua in Sacramentis latet, perficitur, causa autem Sacramentalis significando efficit. Vnde in illis Sacramentis, in quibus utroque modo Minister operatur, oportet quod verba prolata significant actum exercitum, & actus exterior significet interiorem effectum, ut in Baptismo patet, quia ablutio exterior, quam verba forma exprimunt, significat interiorem abluitionem quam divina virtus perficit in Sacramento latens. Vbi ergo Minister non operatur, nisi verba pronuntians, oportet quod verborum significatio immediatè ad hoc quod efficitur, referatur: in hoc autem Sacramento, cujus perfectio in ipsa materia

D. Ambr. lib.
4. De Sacram.
cap. 4.

D. Tho. in 4.
sentent. dist.
8. q. 2. quaest.
3.

consecratione consistit, non habet Minister actum nisi pronuntiationem verborum: unde oportet quod verba forme significant hoc quod virtus divina in secreto facit in hoc Sacramento, quodque à Ministro produci nequit.

Quare forma hujus Sacramenti à Presbytero ita profertur ac si loqueretur in persona Christi, ut intelligamus, in consecratione hujus Sacramenti Ministrum nihil aliud præstare, quàm proferre verba Christi, quæ sola vim habent producendi effectum hujus Sacramenti.

D. Tho. 3. P.
q. 98. art. 1.
in corp.

Ideo, ait Divus Thomas, *Forma hujus sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, ut detur intelligi, quòd Minister in perfectione hujus Sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi.*

S. Bonav. in
4. dist. 8. q.
1. P. 2.

Et Divus Bonaventura ait: *Quia Minister operatur virtute Verbi incarnati conjuncta; & ut conjuncta, ideo dicit MEUM: loquitur enim Sacerdos in persona Christi, ideo pro Christo dicit MEUM.*

Quest. 5. Quomodo forma consecrationis potest esse vera, cum videatur exigi ad veritatem propositionis, quæ affirmat rem esse, ut existat, priusquam propositio proferatur: at forma consecrationis præcedit rem quam enuntiat, cum ipsi det esse, ac proinde falsa est, affirmans rem esse, cum nondum est?

Resp. Ad hujus intelligentiam sciendum est, duplex esse propositionum genus: aliæ dicuntur speculativæ, quæ tantum repræsentant, & exprimunt objectum, ut cum dico, *En urbem pulchram.* Aliæ dicuntur practicæ, quæ efficiunt quod enuntiant, ut cum Sacerdos profert verba consecrationis, *Hoc est Corpus meum.*

Hoc supposito, Dicendum cum Divo Thoma,

ma,

ma, quod scientia practica non prasupponit entitatem rei, sed precedit illam naturaliter, quasi causa, etsi simul sint tempore: & ad hunc modum se habent verba premissa, quia sunt significantia & factiva ejus quod significant. Vnde veritas & significatio hujus locutionis precedit naturaliter entitatem rei quam significat, non prasupponit ipsam, quamvis sit simul cum ipsa tempore, sicut causa propria cum proprio effectu: sed quia significatio & veritas locutionis qua est simul tempore cum transubstantiatione, consurgit ex consignificationibus partium successive prolatarum; ideo oportet quod dictio ultimo prolata compleat significationem locutionis.

Quaest. 6. Quomodo intelligenda sunt verba consecrationis vini. *Hic est Calix sanguinis mei, novi, & aeterni Testamenti Mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum?*

Resp. Illa sic explicat Divus Thomas: per haec priora verba, *Hic est Calix sanguinis mei*, designatur conversio vini in Christi sanguinem. Hae locutio, ait Divus Thomas, *Hic est Calix sanguinis mei*, figurativa est, & potest intelligi ut sit metonymica locutio, ut ponatur continens pro contento, secundum quod dicere consuevimus: *Bibe Calicem vini*, id est, vinum contentum in Calice. Ideo autem talis modus locutionis congruus est forma huic, quia sanguis de sua ratione non dicit aliquid potabile, sed quod natura abhorret in potum, & quia in hoc Sacramento sanguis Christi consecratur ut potus, ideo oportuit aliquid addi quod ad potum pertineret, scilicet Calicem.

Dicitur Testamentum novum, ait idem D. Tho. ibi Doctor, ratione promissionis per sanguinem

S. Th. in 4.
dist. 8. art. 1.
p. 1. quaest. 4.

D. Th. in 4.
dist. 8. q. 2.
art. 2. quaest.
tium. 2.

Christi confirmata, quæ vetus impedimentum consequenda hereditatis amovit, & sic quasi quædam innovatio promissionis per mortem Christi facta est. Æternum vero ratione bonorum æternorum, de quibus est Testamentum; vel ratione hujus Sacramenti continentis Christum, qui est persona æterna.

D. Tho. 3. p.
q. 78. art. 3.
in corp.

Per prima verba, ait Angelicus Doctor, cum dicitur: *Hic est Calix sanguinis mei*, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, qua operatur in hoc Sacramento: quæ quidem ad tria ordinatur. Primò quidem & principaliter ad adipiscendam æternam hereditatem, secundum illud Hebr. 10. **HABENTES FIDUCIAM IN INTROITU SANCTORUM IN SANGUINE CHRISTI.** Et ad hoc designandum dicitur, **NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI**: secundò, ad justitiam gratia quæ est per fidem, secundum illud Rom. 3. **QUEM PROPOSUIT DEUS PROPITIATOREM PER FIDEM IN SANGUINE IPSIUS, UT SIT IPSE JUSTUS JUSTIFICANS EUM QUI EX FIDE EST JESU-CHRISTI.** Et quantum ad hoc subditur: *Mysterium fidei.* Tertio autem, ad removendum impedimenta utriusque prædictorum, scilicet peccata, secundum illud Hebræorum 4. *Sanguis Christi emundat conscientiam nostram ab operibus mortuis, id est, à peccatis*: & quantum ad hoc subditur: *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

